

tus sit completus, et subsistens. An vero semper potentia, et actus sint in eodem genere, et quomodo illud axioma intelligendum sit, explicuimus in libro physicorum, et de generatione quod intelligitur de potentia per se ordinata ad actum, et ad quem dicit essentialem ordinem. Vel etiam quod in quocumque genere invenitur potentia, et actus, non tamen intelligitur quod si in aliquo genere est actus totalis, et completus debeat in eo genere inveniri potentia quæ sit materia componens et recipiens talem actum.

## ARTICULUS III.

*Utrum repugnet dari plures Angelos solo numero differentes?*

I. Duplex in hac parte potest esse difficultas.

Prima, et principalis est, supposito quod in Angelis nulla datur materia neque corporea, neque spiritualis, sed sint formæ subsistentes utrum habeant in se principium multiplicationis individualis, in vero careant illo, hoc ipso quod careant omni materia. Qua controversia non solum respicit id quod naturaliter esse potest, sed etiam id quod de potentia absoluta, quia si caret natura angelica principio multiplicationis, non solum ex natura rei, sed etiam de potentia absoluta, non poterunt multiplicari, quia principium multiplicationis debet convenire rei, quæ multiplicatur per sua intrinseca, eo quod individuatio est prædicatum intrinsecum ipsius individui, et consequenter multiplicatio ejus per principia intrinseca fieri debet, et ita principium individuationis, et multiplicationis individuorum non potest per extrinsecum principium sup-

pleri, et ab extrinseco advenire. Quare idem est inquirere utrum natura angelica careat principio multiplicationis individualis in sua intrinseca substantia, atque inquirere an possit de quacumque potentia dari multiplicatio individualis Angelorum intra eandem speciem.

Secunda difficultas est ex suppositione quod natura angelica non careat principio multiplicationis individualis, eo quod tale principium non sumatur a materia, an saltem propter extrinsecum finem non expediatur, quod de facto multiplicentur intra eandem speciem: sicut sol, et luna sunt individua habentia materiam, quæ est principium multiplicationis individualis, et tamen de facto multiplicata non sunt, quia non convenit ex fine extrinseco universi, in quo non bene coaptarentur plures soles habendo universalem influentiam, quam iste modo habet in hæc inferiora. Neque etiam conducit ad finem proprium ipsius naturæ solis, quia cum sit incorruptibilis, non indiget multiplicatione individuorum ad conservandam speciem, propter quem finem multiplicantur individua in istis inferioribus. Eodem modo potest inquiri, etiam dato quod natura angelica non careat principio multiplicationis individualis intrinseco, an saltem propter incorruptibilitatem naturæ angelicæ, et propter ordinem universi non dentur de facto multi Angeli ejusdem speciei, quod in eo casu solum reduceretur ad conjecturas aliquas, quia præcipua ratio reducitur ad voluntatem Dei, de qua nobis constare non potest, nisi per ejus revelationem. Prius ergo tractandum nobis est prior controversia. Deinde, aliquid circa secundam disquiremus.

## IMPLICATIO MULTIPLICATIONIS INDIVIDUALIS NATURÆ ANGELICÆ.

II. Duplex ergo circa priorem controversiam, sententia versatur. Prima negat implicare contradictionem. Secunda affirmat. Quarum sententiarum præcipua fundamenta consistunt in reddenda, vel expungenda implicatione.

Primam sententiam, scilicet non implicare, tenent Scotus in II, dist. III, qu. VII; Durandus ibi quæst. III; D. Bonaventura in II, dist. IX, qu. I, art. I; Vasquez in præsentis disputatione CLXXXI, c. III; Alarcon tract. VI de Angelis, disp. I, c. VII; Suarez in metaph. disp. V, sect. II, num. XXVIII, et lib. I de Angelis, cap. XV, et probabilem censent Capreolus in II, dist. III, qu. I; Bagnez super hanc quæstionem L, art. IV, dub. II; Ferrariensis II contra gent. c. XCIII; Bubalus in præsentis, quæstio I, difficult. III, §. I, aliique Thomistæ.

Secundam vero sententiam sequuntur communiter Thomistæ, Capreolus loco citato ad secundum argumentum Durandi contra secundam conclusionem, dicitque esse de mente D. Thomæ; Cajetanus de ente, et essentia, cap. V, quæst. IX; Hervæus in II, dist. III, qu. I, art. II; Nazarius in hac quæstione L, art. IV, contr. II; Granados contr. VII generali, tract. I, disp. IV, n. IX; collegium Carmelitanum tract. VII de Angelis, disp. I, dub. VII, aliique plures.

De mente sancti doctoris dubitatum etiam est in hac parte, quia in opusculo XVI, paragrapho ultimo dicit contra Averroistas, quod: « Valde ruditer argumentantur ad ostendendum quod Deus non possit facere quod sint multi intellectus ejusdem speciei, credentes hoc includere contradictionem. Dato enim, inquit sanctus doctor, quod non esset

de natura intellectus quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret quod intellectum multiplicari includeret contradictionem: nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicujus, quod tamen habet illud ex alia causa, sicut grave habet ex sua natura quod non sit sursum, tamen grave esse sursum non includit contradictionem, sed grave esse sursum secundum suam naturam contradictionem includeret. Sic ergo intellectus si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa. Nec esset implicatio contradictionis. » Quem locum ita ponderat pater Suarez ut velit juxta sententiam D. Thomæ non solum esse falsum, sed etiam valde rude, et improbabile dicere, quod implicet Angelos multiplicari in eadem specie.

III. Ex alia parte obstat non solum expressa auctoritas D. Thomæ. Sed quod multo ponderosius est, ejus ratio, quæ si aliquid probat impossibilitatem hujus multiplicationis simpliciter, et in ordine ad potentiam absolutam probat. Et ita recte dixit Scotus ubi supra, quod si sequamur rationem D. Thomæ tenendum est Angelos non posse solum numero differre. Auctoritas expressa D. Thomæ est in quæstione de spiritualibus creaturis, art. VIII, ubi inquit quod: « Si Angelus est forma simplex abstracta a materia, impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli unius speciei. » Et in hac prima parte, qu. LXXV, art. VII, dicit: « Non posse Angelos, et animas esse ejusdem speciei, quia cum Angeli non sint compositi ex materia, et forma, sed sint formæ subsistentes, manifestum est quod necesse erit in eis esse diversitatem in specie: non enim potest intelligi

quod aliqua forma separata sit, nisi una unius speciei, sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi una tantum.» Et quæstione LXXVI, sequenti articulo II ad primum, ponens D. Thomas differentiam inter animas racionales, et Angelos, inquit, quod: «Licet anima intellectiva non habeat materiam ex qua sit, sicut nec Angelus, tamen est forma materiæ alicujus, quod Angelo non convenit; et ideo secundum divisionem materiæ sunt multæ animæ unius speciei: multi autem Angeli unius speciei omnino esse non possunt.»

IV. In quibus auctoritatibus in primis pondero D. Thomam agere ex proposito, et specialiter de multiplicatione Angelorum; et ita magis est accipienda mens ejus, ex istis locis, ubi ex professo id tractat, quam ex uno illo loco opusculi XVI, ubi non agit specialiter de Angelis, sed de natura intellectuali in communi, seu potius de intellectu qui convenit hominibus, quem Averroistæ dicebant esse unum pro omnibus, et ita unum, quod implicaret multiplicari ex vi ipsius naturæ intellectus, quod omnino falsum est, cum ex præcisa natura intellectus id non repugnet. In istis autem locis a nobis citatis non procedit D. Thomas ex eo quod Angeli sint formæ intellectuales, sed quia sunt formæ separatæ subsistentes, et carentes omni materia, et ordine ad illam. Unde ponit exemplum, etiam in forma non intellectuali, dummodo separata subsistat, ut si albedo ex natura sua esset separata: procedit ergo in istis locis, in opusculo XVI ex diversis principiis; ibi ex sola ratione intellectus, hic ex ratione formæ separatæ subsistentis, et carentis omni materia: ergo potius judicandum est de mente sancti doctoris quoad multiplicationem numeralem Angelorum ex

istis locis, quam ex illo opusculo.

V. Secundo, pondero in locis allegatis D. Thomam uti verbis significantibus impossibilitatem simpliciter circa multiplicationem numericam Angelorum: dicit enim quod: «Omnino non possunt esse unius speciei: quod non potest intelligi quod aliqua forma separata sit nisi una unius speciei, quod impossibile est etiam fingere quod plures Angeli sint unius speciei.» Quod autem neque intelligi, nec fingi potest, quomodo dicitur esse possibile, etiam de potentia absoluta, quia quod sic est possibile intelligi potest? Denique, rationes D. Thomæ quibus in hac quæstione L, a. IV, et in II contra gent. c. XCIII, et in II, dist. III, q. I, a. III, probat non posse esse plures Angelos ejusdem speciei, ita ab intrinseco procedunt, quod vel nihil probant, vel probant omnino implicare talem multiplicationem numericam, quas rationes statim expendemus.

VI. Prius tamen oportet respondere ad locum allegatum ex opusculo XVI citato, in quo supponendum est expresse agere D. Thomam non de multiplicatione Angelorum, quatenus sunt formæ irreceptibiles, sed de substantia intellectuali qualis est anima rationalis, respectu cujus ponebant Averroistæ non posse multiplicari intellectum, sed esse separatum, et unum, et nullo modo multiplicari posse, quia in se materialis forma non est: formam autem immaterialem dicebant non posse multiplicari etiam per ordinem ad materiam, sed hoc implicare contradictionem, quia habere materiam dicebant requiri ad multiplicationem materialem. Ad quod D. Thomas dicit quod substantiæ separatæ sunt individuæ, et singulares, non autem individuari ex materia, sed ex hoc ipso quod non sunt natæ in alio esse, et per consequens nec

participari a multis. «Ex quo, inquit sequitur, quod sit aliqua forma nata est participari ab aliquo, ita quod sit actus alicujus materiæ, illa potest individuari, et multiplicari per comparisonem ad materiam. Ostensum est autem quod intellectus est virtus animæ, quæ est actus corporis: in multis igitur corporibus sunt multæ animæ.» Ita D. Thomas. Ex quo patet intentum illius in prædicto loco esse, quod non repugnat intellectualem naturam ex eo quod intellectualis est multiplicari, dummodo dicat ordinem ad materiam. De Angelis autem nihil ibi tractat, quia repugnantia multiplicationis eorum non oritur ex natura intellectuali, quia immaterialis, et incorporea est, sed quia omnino separata et irreceptibilis, ita quod neque materiam includat, nec ordinem dicat ad materiam, quæ ratio currit in quacumque forma, etiam si intellectualis non sit, ut si albedo esset separata ex natura sua.

VII. Sed majus dubium est, quia dicit D. Thomas quod: «Dato quod non esset natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret quod multiplicari intellectum includat implicationem, quia licet ex sua natura causam multiplicationis non haberet, haberet tamen illam ex alia causa; et sic si intellectus naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis.» Ergo sentit D. Thomas quod etiam Angeli licet in sua natura non habeant causam multiplicationis, supernaturaliter tamen eam possunt habere, quia eadem consequentia est hic, et ibi.

Respondetur D. Thomam in his verbis præcipue intendere reprobare illam consequentiam, et formam

argumentandi, quod si aliquid ex natura sua repugnat alicui, etiam contradictionem implicet, et supernaturaliter repugnet. Quam consequentiam merito D. Thomas rudem argumentationem vocat. Et expresse ibi inquit: «Se id notare, ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur: sic enim, inquit, possemus concludere quod Deus non potest facere, quod mortui resurgant, quia id ex natura sua non habent.» Signum ergo est quod præcipuum intentum D. Thomæ est illam formam argumentandi reprobare: sic enim etiam in Angelis non valet, quod si ex natura sua non possunt multiplicari, id repugnet etiam ex potentia absoluta Dei. Si enim in hoc præcise fundaretur nostra sententia, ruditer, et improbabiler argumentaremur. Cæterum ex alio fundamento et principio, scilicet ex carentia omni materiæ, et ordinis ad illam non negat D. Thomas in illo loco id repugnare etiam supernaturaliter, sicut affirmat in aliis locis a nobis citatis. Et ad vim illius consequentiæ D. Thomas dicit quod etiam si ex natura sua intellectus non esset multiplicabilis numero, posset tamen ex causa supernaturali multiplicari: ergo licet Angeli careant materia, quæ secundum naturam est principium multiplicationis individualis, non infertur quod supernaturaliter ex alia causa multiplicari non possint. Respondetur non esse similem consequentiam, sicut neque ista est similis: Sol naturaliter non potest multiplicari individualiter, quia incorruptibilis natura id non petit: ergo non potest multiplicari supernaturaliter, quia retinet materiam, quæ est capax divisionis, et multiplicationis, saltem supernaturaliter, quando ex aliquo fine extrinseco naturali id non potest. Quare oportet bene perpendere vim consequentiæ D. Thomæ ut in

verbis ejus supra relatis videri potest : solum enim dicit non esse bonam consequentiam, quod si non est de natura intellectus multiplicari: ergo implicat contradictionem multiplicari, si non habet causam naturalem multiplicationis: ergo ex causa supernaturali non potest multiplicari. Has consequentias negat D. Thomas et vere negandæ sunt. At vero Angelus, et quælibet forma quæ nec est in materia, nec dicit ordinem ad materiam, non ex eo est immultiplicabilis, quia non habet causam naturalem multiplicationis, nec ex eo quod intellectualis est quomodocumque, sed ex eo quod ab omni materia, et ab ordine ad materiam forma separata est. Esse autem sic separatam sive sit forma intellectualis, sine non, non solum est non habere causam naturalem multiplicationis, sed repugnare ejus quidditati, ut statim ostendemus. Bona autem consequentia est, repugnat quidditati multiplicatio: ergo nec supernaturaliter dari potest.

## RATIO IMPLICATIONIS.

VIII. Unica ratione perpetuo utitur D. Thomas ad affirmandum, quod est impossibile Angelos multiplicari numero, quæ ex hoc ipso quod unica est, et semper affertur a D. Thoma magni ponderis censeri debet: demonstrator enim non multiplicat media, ut inquit Aristoteles.

Ratio ergo D. Thomæ talis est: Angeli sunt formæ simplices carentes materia, sive ex qua componentur, sive quam informent, et ad quam ordinentur: ergo carent omni principio distinctionis specificæ. Ad do aliam consequentiam ex illa priori concessa evidenter deductam: Sed si carent omni principio distinctionis numericæ ex natura sua

et propria quidditate, repugnat illis ab extrinseco convenire aliquod principium multiplicationis numericæ, id est, aliquam materiam vel ordinem ad materiam, seu aliquod principium materialis divisionis, nisi destruat eorum natura, et propria quidditas: ergo impossibile est stante natura angelica, et ejus prædicatis intrinsecis dari plures Angelos solo numero differentes. His duabus consequentiis tota ista implicatio pendet, in quibus solæ duæ propositiones probandæ a nobis sunt.

Prima, est illa consequentia primi enthymematis: nam antecedens, scilicet Angelos carere omni materia, et omni ordine ad materiam, fuisse a nobis probatum est articulo præcedenti, nec in eo dissensio nobis est cum opposita sententia, sed in illo etiam nobiscum conveniunt. Quod vero difficultatem facit est illa consequentia: ergo carent omni principio distinctionis numericæ.

Secunda propositio est illud antecedens secundi enthymematis: repugnat Angelis adjungi aliunde principium multiplicationis numericæ. His enim probatis, reliqua per se sunt manifesta.

IX. Circa primam propositionem est advertendum quod D. Thomas non probat eam hic, sed supponit, quia pertinet ejus probatio ad controversiam de principio individuationis, de qua nos egimus in libris de generatione, quæstione nona. Eam tamen propositionem desumpsit S. Thomas ex philosopho, qui XII metaph. cap. VIII, textu XLIX, loquens de unitate numerica primi principii, qui est Deus, sic inquit: « Quæcumque numero sunt multa materiam habent: una enim, et eadem ratio multorum, ut hominis, Socrates vero unus; ipsum vero quid erat esse primum, non habet materiam,

cum actus sit: unum ergo, tum ratione, tum numero. » Itaque philosophus unitatem numericam, et indivisibilem in plura numero desumpsit ex carentia materiæ; et sic D. Thomas solum usus est principii Peripateticis, et ex lumine naturali petitis ad investigandum principium multiplicationis numericæ, et stando in illis convincit ratio D. Thomæ, quod etiam in Angelis non datur principium divisionis numericæ, quia datur carentia omnis materiæ, et ordinis ad illam. Quam vero constans sit Aristoteles in hac sententia, quod materia sit principium divisionis numericæ, constat: nam etiam v metaph. textu XII, dicit, quod: « Numero sunt unum, quorum materia una. » Et in pluribus aliis locis id docet. Ne vero explicentur de rebus corporeis, ideo principaliter argumentum deducimus ex loco citato XII metaph. ubi loquitur de principio qui est Deus, quem Aristoteles incorporeum, et immaterialem admisit; et tamen dixit esse unum numero, et non plures, quia caret materia.

X. Ex hoc vero sic conficitur argumentum philosophi: Lumine naturali agnoverunt dari unum Deum, non solum in specie, sed etiam numero, quia hoc pertinet ad plenam cognitionem divinitatis ejus: si enim plures deos agnoscerent non attingerent veram divinitatem: ergo ratio, qua pervenerunt lumine naturali ad cognoscendum Deum esse unum, et immultiplicabilem, etiam numero, omnino admittenda est: sed hæc ratio est ob carentiam materiæ, et ordinis ad materiam: ergo carentia materiæ est principium omnimodæ indivisibilitatis materiæ.

Primum antecedens est certum, et constat ex Apostolo ad Romanos I, ubi inquit, quod: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt*

*intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* Ergo constat ex Apostolo cognovisse philosophos veram divinitatem Dei, et consequenter unitatem ejus, quia si non cognovissent ut unum, neque cognovissent ut verum. Sed Aristoteles qui præcipue de Deo cognovit, et investigavit, deduxit esse unum numero, quia caret materia, quæ est principium divisionis numericæ: ergo ejus consequentia admittenda est. Ergo similiter bene deduxit D. Thomas quod si Angeli carent materia, et ordine ad materiam, etiam carent principio divisionis numericæ, illisque repugnat; aut si ista consequentia in Angelis non tenet, enervatur principium quo in doctrina Peripatetica, et in solidiori philosophia naturali probatur unitas numerica veri Dei, sine quo vera ejus divinitas non esset agnita a philosophis, quod tamen est contra Apostolum.

XI. Premit hoc argumentum nimis auctores qui viam Aristotelis, scholamque ejus sequuntur. Et quidem Scotus interpretatur philosophum, quod nomine materiæ intelligit non materiam primam, sed differentiam numericam, quam vocat hæceitatem, quæ materialiter se habet respectu specificæ naturæ quam contrahit. Alii, ut Vasquez II tomo primæ partis, disp. CLXXXI, capite primo ingenue fatentur Aristotelem loqui de materia prima, sed Aristotelem omittit, nec ejus locum interpretatur, sed interponit argumentum aliud ad probandum quod distinctio numerica fit per divisionem continui, seu quantitatis; cui respondet, id

intelligi in his quæ distinguuntur numero quantitative, sed non multiplicatione numerica substantiali. Sed quid hoc ad locum Aristotelis? Alii, ut p. Suarez lib. I de Angelis, c. xv, et disp. v metaph. sect. II, a numero xxiii, dicunt formas istas individuari seipsis entitative. Sed ad istum locum Aristotelis ex XII metaph. nihil respondet, sed solum ad varia loca, quæ sumuntur ex septimo metaph. et tertio de anima, in quibus modo non facimus vim.

XII. Quare auctores isti tacite, vel clare Aristotelem relinquunt in hac parte; et sic solum oportet probare quod Aristoteles per materiam non intelligit hæcitatatem, sed materiam illam, quæ est pars compositi et reddit naturam materialem, et corpoream. Contra alios auctores, quod substantiæ non multiplicantur numero solum ratione entitatis sine alio principio materiali, quod sit ratio talis multiplicationis. Et primum patet manifeste, quia si philosophus nomine materiæ intelligit hæcitatatem, petit principium, et non probat intentum: dicit enim, quod ideo Deus est unus numero tantum, quia non habet materiam. Si ergo nomine materiæ intelligit hæcitatatem, sensus est: ideo Deus est unus numero, et non plures, quia non habet hæcitates, seu differentias individuales. Sed hoc ipsum est probandum, quia de hoc est difficultas, quare non sint in Deo plures differentiæ individuales: ergo petit principium. Et secundo confirmatur, quia philosophus probat non habere Deum materiam, quia est actus, seu forma pura, et incorporea: ergo id intelligit per materiam, per cuius carentiam redditur Deus incorporeus, seu spiritualis, et forma pura, sed non redditur spiritualis, et incorporeus per carentiam hæcitatatis: nam per carentiam hujus dicitur aliquid universale, non incor-

poreum, vel spirituale, neque actus purus: ergo philosophus loquitur de vera materia substantiali, per cuius carentiam res dicitur incorporea et vera potentialitate, per cuius carentiam dicitur actus purus seu spiritualis.

XIII. Contra alios autem auctores probatur, non posse aliquid multiplicari numerice ratione suæ entitatis quomodocumque considerata, sed ratione alicujus principii materialis, quod nisi conveniat tali entitati, non poterit multiplicari individualiter, retinendo eandem speciem, et differendo substantialiter seu entitative. Etenim differentiæ individuales et individualiter multiplicantes taliter se habent, quod sine qualibet illius determinate sumpta salvatur species, seu quidditas specifica alicujus substantiæ, et tamen ipsa divisio et multiplicatio substantialis est, sicut Petrus et Paulus differunt tamquam duæ substantiæ realiter distinctæ, et tamen specificè diversæ: ergo oportet pro principio et radice hujus distinctionis accipere aliquid quod in se substantiale sit, dividatque substantias realiter; et tamen ejus divisio materialiter, et per accidens se habeat ad speciem, ita ut sine tali multiplicatione et divisione in quolibet individuo possit salvari specifica natura, nec requiratur quodlibet determinatum individuum in quantum tale ad salvandam rationem specificam; atque adeo non sit differentia individualis constitutiva diversæ naturæ, sed ejusdem multiplicativa materialiter, et non quantum ad speciem: in hoc enim distinguuntur differentiæ individuales a specificis, quod etsi possit sine qualibet illarum salvari genus, et quantum ad hoc dicuntur generi accidere, tamen constituunt intrinsece quidditatem, et naturam specificam in ratione quidditatis, et na-

turæ tamquam ultimæ differentiæ essentielles facientes formaliter, et quidditative differre naturam, ideoque debent provenire ab ipsa entitate rei secundum rationem aliquam formalem, ut formalis est. Individuales autem differentiæ si multiplicantur in aliqua natura, oportet quod ita conveniant entitati, quod entitative quidem, et substantialiter illam dividant, et multiplicent, non tamen constituent naturam in ipsa ratione quidditativa, et formali, quia differentia speciei atomæ est ultima in genere quidditativo, et essentiali, cujus manifestum signum est, quia duo individua non differunt quidditative, et essentialiter, licet diversæ substantiæ sint: ergo necesse est quod faciant differentiam materialem in ipso genere substantiæ. Unde in natura specifica habent se individua sicut partes integrales in uno supposito, quæ sunt quidem substantiales, tamen multiplicatio earum non requiritur per se ad ipsam quidditatem totius: et ideo diversa individua resultant per divisionem partium integralium quod est signum ita multiplicari individua, et dividere ipsam naturam specificam, sicut partes integrales se habent ad ipsam substantiam totius, et sicut partes integrales non multiplicantur sine materia, ita neque individua sine divisione materiali. Male ergo dicitur quod quælibet entitas seipsa individuatur, et multiplicatur, non assignando aliud principium pro multiplicatione, quam ipsam entitatem secundum se, quia in entitate, et datur principium constituendi, et distinguendi formaliter, seu specificè ab aliis speciebus, et datur principium multiplicandi substantiam sine distinctione et divisione specifica. Et hæc duplex distinctio non potest ab eisdem principiiis provenire, quia principia constitutiva speciei, quæ nos dici-

mus formalia, quia forma est quæ dat speciem rei, ita distinguunt substantiam, quod dividunt quidditatem specificè, et entitative. At vero principia individualia ita multiplicant substantiam, quod non distinguunt quidditative, et specificè ipsam naturam, neque formam in ratione, et officio formæ, quod est dare speciem, sed solum dividunt naturam materialiter: ergo debent tales differentiæ individuales sumi penes principia materialia, seu ordinem ad materiam, non per formam secundum quod exercet officium formæ, et specificationis.

XIV. Totus hic discursus applicatur speciebus angelicis ostendendo quod principia multiplicationis individualis illis repugnent, quia principium individualis multiplicationis non potest esse sola entitas rei considerata secundum se, sed juxta munus et officium, quod facit divisio individualis, ut distinguitur a divisione specifica, quia videlicet ita dividit substantiam substantialiter, quod non formaliter et quidditative, seu specificè: ergo non sufficit ad hoc forma, seu principium formale ut exercet munus et officium formæ, quod est specificare et formaliter constituere ac distinguere, sed debet esse entitas, seu forma, ut non exercet officium formæ, sed per ordinem ad materiam, vel ratione alicujus materialis principii distinguitur: divisio enim materiæ sic distinguit substantiam quod non dividit speciem specificè. Sed natura angelica non solum excludit materiam, et principia materialia substantialia a sua compositione, sed etiam a sua connotatione, quia neque componitur ex materia, nec est forma receptibilis in illa, aut dicens aliquem ordinem ad illam, quia quicumque ordo ad materiam, est tamquam ad recipientem: ergo